

esse personæ præter esse naturæ; et ideo tres personæ non habent nisi unum esse. Haberent autem triplex esse, si in eis esset aliud esse personæ, et aliud esse naturæ.

Ad quartum dicendum, quod anima in Christo dat esse corpori, in quantum facit ipsum actu animatum; quod est dare ei complementum naturæ et speciei. Sed si intelligatur corpus perfectum per animam absque hypostasi habente utrumque, hoc totum compositum ex anima et corpore (prout significatur nomine humanitatis), non significatur ut quod est, sed ut quo aliquid est. Et ideo ipsum esse est personæ subsistentis, secundum quod habet habitudinem ad talem naturam; cujus habitudinis causa est anima, in quantum perficit humanam naturam, informando corpus.

COMMENTARIUS.

In hoc articulo, non solum est quæstio de modo loquendi, sed etiam de re ipsa. Et quoniam mens D. Thomæ in toto articulo obscura est, prius res ipsa disputanda videtur, et deinde sensus D. Thomæ, et vera ejus mens ac sententia explicanda; ipse enim simpliciter docet, in Christo esse tantum unum esse personale. Quid autem intelligat nomine esse personalis, quomodo etiam illud affirmet esse unum, non satis declarat, neque etiam exponit quomodo per illud esse humanitas ipsa existat; omnia ergo hæc ex sequenti disputatione constabunt.

DISPUTATIO XXXVI,

In duas sectiones distributa.

DE ESSE EXISTENTIÆ CHRISTI ET HUMANITATIS
EJUS.

Duo breviter in hac disputatione tractanda sunt. Primum est, per quam existentiam humanitas Christi in rerum natura existat; alterum vero estan et quomodo esse existentia Christi unum sit; quæ disputatio, quod ad rem ipsam attinet, et præsertim quoad primam ejus partem, ad quæstionem secundam D. Thomæ pertinebat, ubi mysterium ipsum et unio incarnationis explicata est. Ibi enim videndum erat an hæc unio sit in ipsa existentia increata, necne; tamen in hunc locum remissa est, ut hoc consuetudini daremus, et quia maxime videtur hæc disputatio necessaria ad ea intelligenda, quæ D. Thomas in hoc articulo tradit.

SECTIO I.

An humanitas Christi formaliter et intrinsece existat in rerum natura per existentiam increatam, vel per propriam et creatam.

1. Prima sententia negat in Christi humanitate esse aliquam existentiam creatam, sed per unionem assumptam esse ad existendum per ipsam existentiam increatam Verbi divini. Hæc est sententia communis Thomistarum: Cajet. hic; Capreol., in 3, dist. 6; Ferrar., 4 contra Gent., c. 35 et 41; tenet etiam Henric., Quodlib. 3, q. 2, et communiter censetur esse D. Thom. Quæ sententia supponit unum metaphysicum fundamentum, scilicet, existentiam et essentiam in rebus creatis realiter, seu ex natura rei, ita distingui, ut possit natura creata in essentia sua conservari, et privari sua existentia, et per alienam terminari. Nam ex hoc fundamento sequitur, possibile esse humanitatem Christi esse privatam propria existentia creata, et per existentiam Verbi ita esse terminatam, ut per eam formaliter existat. Sicut enim supra dicebamus, Verbum potuisse assumere naturam ad suam subsistentiam, quia ex parte naturæ est distinctio sufficiens, et ex parte Verbi nulla est imperfectio, seu defectus perfectionis unde hoc possit impediri, ita, supposita distinctione existentia creata ab essentia, est ex parte naturæ sufficiens fundamentum, ut possit privari propria existentia, et assumi ad existendum existentia aliena; ex parte autem Verbi est sufficiens perfectio, ut possit supplere existentiam alienam, quia est suum esse perfectissimum et infinitum, eminenter continens omne esse creaturæ, et sine imperfectione hoc facere potest per mutationem creaturæ, sine mutatione sui. Quod si hoc fieri potest, non est negandum quin factum sit in hoc mysterio: primo quidem, quia ita insinuant sancti Patres, Sophron., Damasc. et D. Thomas. Et deinde, quia hoc modo melius intelligitur substantialis unio ac per se, quæ alia ratione vix potest intelligi. Quæ omnia commodius proponemus infra, cum illis satisfaciendum erit; nunc solum insinuata sunt ad explicandum fundamentum hujus sententia.

2. Impossibile est humanitatem existere existentia increata. — Dico primo: impossibile est humanitatem existere in rerum natura per existentiam increatam Dei, seu divini Verbi, unde necesse est ut existat per existentiam

propriam et creatam. Hæc est communior sententia Theologorum, Altisiod., lib. tertio Summ., tract. 1, c. 1, q. 8; Albert., in 3, dist. 6, q. 2, art. 4; et ibi Scot., Durand., Gabr., Almay.; Bonavent., dist. 5, a. 2, q. 1, ad argum.; et ex Thomistis, Hervæ., dist. 9, q. 1, art. 3; Paludan., q. 3, qui late defendit hanc sententiam non esse contrariam D. Thomæ, sed potius illius doctrinæ consentaneam. In Conciliis vel sanctis Patribus pauca referuntur, quibus satis possit hæc conclusio confirmari; in hoc vero favent huic assertioni, quod loquentes de hoc mysterio, semper supponunt humanitatem Christi habere in se intrinsecam entitatem actualem creatam, distinctam ab entitate et actualitate Verbi, et prærequisitam ad ipsam unionem. Ex quo principio potissimum confirmanda nobis est hæc conclusio. Deinde in VII Synod., act. 6, tom. 3, col. 8, quidam Epiphanius Episcopus ita distinguit naturam ab hypostasi, quod natura dicit tantum humanitatem existentem, hypostasis vero addit subsistentiam. Præterea Damasc., lib. 3, cap. 3, dicit Verbum assumpsisse humanitatem, nec substantia, nec existentia privatam. Sic enim vertit Faber, aliter enim vertit Billius, scilicet: *Assumpsit humanitatem non redactam in nihilum*, id est, non privatam existentia. Hoc enim ad litteram significat vox græca, ac si idem sit privari existentia, quod redigi in nihilum. Et c. 11 et 12, dicit Damasc. humanitatem habuisse existentiam in Verbo, non per Verbum; et ibidem distinguit existentiam humanitatis ab assumptione.

3. *Existentia quid sit.* — Ut ratione probemus hanc conclusionem, oportet ut in æquivoco non laboremus, et inter auctores utriusque opinionis conveniat, quid nomine existentia significetur. Ego enim per existentiam intelligo id, quo unaquæque res formaliter habet, ut sit actualis entitas in rerum natura, et extra nihil, seu extra causas suas; ut, verbi gratia, anima Christi, vel humanitas priusquam crearetur, actu nihil erat, sed solum in potentia; cum primum ergo intelligitur exire ex illa potentia in actum, et desinere esse nihil, intelligitur actu existens; et existentia illius erit ille modus, vel illa actualitas quo intrinsece et formaliter constituitur extra nihil. Quod autem iste sit proprius et præcisus conceptus existentia, late ostensum est in propria disputatione metaphysica de hac re. Nunc breviter declaratur primo, quia res, quæ actu est extra nihil, et extra causas, hoc ipso in-

telligitur actu existens; quid enim aliud significare potest hoc verbum existendi? Sed existentia est id, quo res existit formaliter; ergo. Secundo, omnis res, cum primum intelligitur producta a sua causa, et esse extra nihil, intelligitur habere aliquod esse, quod ab æterno non habuit; ergo illud esse est esse existentia. Antecedens per se notum est, quia habet aliquod esse quod est terminus actionis novæ quæ ab æterno non fuit. Consequentia vero probatur, quia illud esse non est essentia, ut sic, quia esse essentia, quod a D. Thoma aliquando distinguitur ab esse existentia in creaturis, dicitur esse æternum et immutabile, et inseparabile ab essentia; et propterea distingui dicitur ab ipsa existentia; at vero hoc esse novum, quod habet res, cum primo producitur, seu per ipsam productionem, est temporale, et separabile ab essentia; potest enim res amittere hoc esse, quamvis rei essentia semper eadem maneat; non est ergo hoc esse essentia, sed existentia. Tertio, quia si ex hoc quod res intelligitur actu esse in rerum natura extra causas suas, non intelligitur actu existens, quæro quid illi addat existentia postea adveniens. Certe non potest illi tribuere ut actu sit, hoc enim aperte supponitur ex vi prioris conceptus; tribuet ergo quod hoc vel illo modo sit; at vero hoc jam non pertinet ad rationem existendi absolute, sed ad determinationem quamdam et modificationem ipsius existentia, unde hoc potius pertinet ad rationem subsistentia vel inhærentia. Quod si quis contendat, hunc modum determinatam, ut ita dicam, entitatem actualem, ut sic vel aliter sit, vocari existentiam, et non illud ipsum esse, quo constituitur res in esse entitatis actualis, de significatione vocis potius quam de re contendit, et contra communem modum concipiendi non solum sapientum, sed etiam omnium hominum, utitur nominibus; quamvis enim quantitas, verbi gratia, in sacramento Eucharistia mutet modum existendi, nullus tamen dicet mutare ipsam existentiam, quæ eadem est in quantitate, sive inhæreat, sive a subjecto separetur.

4. *Existentia est de formali conceptu entis in actu.* — Ex ratione vero existentia sic explicata, colligitur primo, fieri non posse ut aliquid sit ens in actu, seu ut concipiatur tanquam actualis entitas, quin in suo conceptu formaliter et intrinsece includat existentiam, ita ut nec per abstractionem præcisivam intellectus, possit unum ab altero sepa-

rari, manente vero conceptu utriusque. Quod patet ex dictis, addito generali principio, impossibile esse concipere effectum aliquem formaliter constitutum per aliquam formam, aut per actum intrinsecum similem formæ, quin in illo includatur talis forma. Exemplis res fit manifesta: non enim potest concipi album constitutum in ratione albi, quin in illo conceptu intrinsece includatur albedo; et in hoc mysterio impossibile est concipere Christum constitutum hominem, quin ibi includatur humanitas, quæ est forma constituens hominem. Et pari ratione, impossibile est concipere eundem Christum constitutum in ratione hujus personæ compositæ, quin ibi includatur subsistentia Verbi, tanquam intrinsecus terminus quasi formaliter constituens Christum in esse personæ. Et ratio generalis est, quia causa formalis vel actus quasi formalis concurrat ad suum effectum vel quasi effectum, intrinsece et per se ipsum illum constituendo, et ideo intime includitur in conceptu constituti; constat autem ex dictis, entitatem actualem ut sic, intrinsece et quasi formaliter constitui in esse entitatis actualis per existentiam; ergo impossibile est concipere entitatem actualem ut sic, quin in illa intrinsece includatur existentia. Unde, mea sententia, valde decipiuntur, qui dicunt essentiam creatam intrinsece constitui in esse entitatis actualis, non per existentiam ipsam, sed per habitudinem ad existentiam, seu per capacitatem existentiam, ita ut rem esse entitatem actualem, sit esse proxime capace existentiam; ipsa vero existentia sit quædam conditio, seu quidam ultimus terminus et actus illius entitatis, seu capacitatis. Est enim hoc repugnans veræ ac propriæ rationi existentiam a nobis explicatæ; et improbatum facile, quia essentia secundum se, ut dicitur esse æterna in potentia suæ causæ, est capax existentiam secundum potentiam objectivam, seu per extrinsecam denominationem a potentia suæ causæ; entitas ergo actualis non consistit in hac capacitate, ut sic.

5. *Objectio.* — *Responsio.* — Dicitur fortasse, hanc esse capacitatem remotam, rationem vero entitatis actualis consistere in capacitate proxima. Sed contra, nam vel hæc capacitas proxima est objectiva tantum, et sic non est extra latitudinem entis in potentia, neque est realitas actu producta; vel est capacitas subjectiva fundata in aliqua actuali entitate jam producta, et sic necesse est ut illa entitas, in qua fundatur, habeat ali-

quod esse intrinsecum novum et productum, quod necesse est ut sit esse existentiam, ut probatum est; ergo talis entitas non constituitur per capacitatem existentiam, sed intrinsece per existentiam ipsam. Quin potius, ut supra dicebam, si res jam habet hoc esse actualis entitatis, non intelligitur quomodo sit in potentia vel capacitate, ut ulterius terminetur per existentiam; sed recte intelligitur esse in potentia, ut terminetur per inhærentiam, vel per subsistentiam; nam, ut recte dixit Damascenus, lib. 3, c. 3, *subsistentia est modus existentiam.* Unde etiam obiter intelligitur, essentiam non vere neque proprie comparari ad existentiam per modum subjecti, vel potentiam receptivam; quia in subjecto, vel receptiva potentia, necesse est præintelligi actualitatem aliquam, ut possit alium actum suscipere; ipsi vero existentiam nulla actualitas seu actualis entitas supponitur, sed per illam intime et formaliter constituitur. Et eadem ratione obiter colligitur, essentiam non comparari ad existentiam per modum principii effectivi, neque per propriam actionem, neque per naturalem resultantiam; quia in omni principio effectivo supponi debet aliquod actuale esse, ut ab illo possit aliquid fieri vel manere. Quod enim actualiter nihil est, nullo modo potest aliquid efficere; at vero essentia, ut præintelligitur existentiam, non est actualis entitas, sed in potentia tantum; nihil ergo potest efficere, nisi prius per ipsam existentiam constituatur in esse actualis entitatis; ergo impossibile est ut sit principium efficiens ipsam existentiam.

6. *Humanitas Christi, ut condistincta a Verbo, est actualis entitas.* — Ex his principiis metaphysicis demonstratur Theologica conclusio a nobis posita, quia humanitas Christi, ut condistincta a Verbo, intelligitur esse quædam actualis entitas, quam ipsa secum affert, et illam a Verbo formaliter non recipit; ergo intelligitur esse existens per existentiam propriam et creatam, omnino a Verbo distinctam. Consequentia patet ex dictis, quia idem est esse entitatem existentem, quod entitatem actualem, et quia in intrinseco conceptu entitatis actualis includitur existentia; in intrinseco autem conceptu humanitatis, ut est entitas actualis, non includitur Verbum. Quod simul cum antecedenti probatur, primum, ex modo quo Concilia et Sancti explicant hoc mysterium; dicunt enim factum esse per ineffabilem compositionem unius personæ ex duabus naturis realibus et actualibus, et ut

sic inter se distinctis; unde plane significant, sicut divinitas seu Verbum habet suam actualem entitatem, in cuius intrinseco conceptu non includitur humanitas, ita et e converso, humanitatem habere etiam suam entitatem actualem, in qua intrinsece non includitur Verbum, neque aliquid increatum; necesse est ergo ut ibi includatur existentia creata. Et revera per se incredibile est humanitatem, quæ, ut est actualis entitas, tota est creata, formaliter constitui in esse talis entitatis per divinitatem, seu Verbum increatum, quod argumentum infra amplius urgebimus.

7. Secundo hoc declaratur, nam Angelus bonus vel malus virtute naturali intuitive videt humanitatem Christi, et totam actualem entitatem ejus; ergo videt id, quo illa humanitas intrinsece et formaliter constituitur in esse talis entitatis actualis. Fieri enim non potest, neque intelligi, ut aliquis intuitive videat album ut album, et non videat albedinem ipsam; sed Angelus virtute naturali non poterat intueri Verbum, vel divinitatem unitam humanitati; ergo signum evidens est, humanitatem non constitui in esse actualis entitatis per hanc unionem, nec per rem increatam, sed per existentiam propriam et creatam, quam Angelus intueri potest. Quod ex eodem mysterio ita confirmatur, nam quia humanitas Christi in ratione subsistentis constituitur per ipsam subsistentiam increatam, quam dæmon intueri non potest, fit ut ipse non possit illam intueri et clare videre in ratione subsistentis; ergo, si per existentiam divinam constitueretur in esse actualis entitatis, non posset illam sub hac ratione clare intueri, non visa ipsa existentia divina, quod est evidenter falsum.

8. Tertio, humanitas ut actualis entitas ordine naturæ supponitur assumptioni; ergo non constituitur in esse actualis entitatis per ipsam assumptionem, et consequenter nec per existentiam increatam, nam terminus assumptionis non potest illi supponi. Antecedens primum est D. Thom. supra, q. 4, art. 2 et 3, ubi inquit, quod assumitur non esse terminum assumptionis, sed præintelligi assumptioni; vult autem præintelligi secundum esse existentiam actualis, nam secundum esse in potentia, etiam quod creatur, præintelligitur creationi, et terminus resultans per assumptionem præintelligitur ut possibilis; et ideo apertius q. 6, art. 4, ad 3, dicit, carnem Christi non prius natura esse ens quam sit a Verbo effecta, prius autem natura esse ens

quam sit Verbo personaliter unita. Ratione vero probatur primo, quia quod assumitur, oportet ut sit aliquod ens in actu, quia Verbum non assumit essentiam humanitatis, prout intelligitur esse in potentia objectiva, sed prout intelligitur esse in actu. Secundo, quia esse, ordine naturæ, prius est quam uniri, quia, quod assumitur in hac unionem, est subjectum unionis, et ideo supponitur illi, ut actuale ens.

9. *Objectio.* — *Responsio.* — Dices: interdum aliquid non prius natura fit quam unitur, quia, si fit in alio ut accidens, simul fit et unitur, quia in ipso subjecto fit, unde accidens non prius natura est quam insit; idem ergo dici poterit de humanitate Christi, scilicet, fieri in ipso supposito Verbi, et ideo non prius natura existere quam uniri. Respondetur non esse simile exemplum quod affertur, nam quando forma fit in subjecto per mutationem ipsius subjecti, et per actionem in ipso susceptam, et cum concursu materiali ipsius subjecti ex quo educitur forma, tunc recte intelligitur, illam et actione et concursu formam fieri et uniri subjecto. At vero, cum in præsentem mysterio actio unitiva et mutatio non recipiatur in supposito Verbi tanquam in subjecto, sed in ipsa humanitate, necesse est ut humanitas ipsa supponatur unioni, sicut subjectum ejus; non potest autem supponi ut subjectum, nisi supponatur in ratione actualis entis jam producti. Quod ita confirmatur, nam modus rei, præsertim extraneus, supponit ordine naturæ rem cuius est modus; unio autem vel assumptio est modus ipsius humanitatis extra naturam ejus; ergo ordine naturæ supponit illam in ratione entis actualis, et consequenter non habet humanitas, per hanc unionem, ipsam rationem actualis entis, atque adeo neque existentiam ipsam.

10. Unde arguitur quarto, nam creatio animæ Christi, et unio illius ad Verbum, sunt actiones distinctæ, quarum prima secundæ supponitur, sicut creatio ejusdem animæ distincta est ab unione ad corpus, et illi supponitur; sed per creationem recipit anima aliquod esse; ergo existentiam creatam. Major supra probata est, disp. 1, sect. 9, tum rationibus, tum auctoritate D. Thomæ et aliorum Theologorum. Nunc breviter declaratur, tum quia creatio animæ est productio ex nihilo, unio vero est mutatio vel actio ex præsupposito subjecto; tum etiam quia creatio animæ Christi est actio naturalis ejusdem ordinis et rationis cum creatione alterius animæ; a

vero unio est actio supernaturalis distinctæ rationis et ordinis. Tum etiam quia, ut supra dicebam, non potest intelligi Verbum terminare animam, ut erat ab æterno in potentia, sed ut est aliquid jam factum; ergo alia est actio per quam anima fit, et alia per quam unitur, ut terminetur a Verbo; et idem proportionaliter est de tota humanitate. Prima vero et secunda consequentia probantur, quia per illam creationem fit aliquod esse in ipsa anima; et non fit esse essentialis, ut condistinguitur ab esse existentis, quia ut sic non est esse novum, sed æternum, quia revera tantum est esse in potentia; est ergo esse existentis creatum, cum per creationem fiat; quod manet in ipsa anima Verbo unita; non enim potest perdere per assumptionem illud esse, quod per creationem habuit; alias non possent creatio et assumptio simul esse in eodem instanti.

11. Ad hanc et præcedentem rationem, respondet quidam modernus auctor, verum quidem esse, creationem et assumptionem animæ et humanitatis esse actiones seu mutationes diversas, et creationem in via seu in fieri præsuppositam fuisse ordine naturæ assumptioni; nihilominus tamen in termino seu in facto esse, assumptionem fuisse priorem productione, ita ut licet hæc propositio vera sit, *Humanitas prius natura producit, quam sit assumpta*, hæc tamen sit falsa, *Humanitas prius natura est producta, quam assumpta*; sed e contrario verum sit, humanitatem prius natura fuisse assumptam quam productam; atque hinc defendit, per illam creationem in fieri non fuisse communicatum animæ Christi aliquod esse existentis, quia per assumptionem fuit præventa, ne ad suum terminum deveniret; nam ex vi creationis in fieri tendebat anima Christi ad existendum, non tamen obtinuit existentiam, quia per unionem impedita est, seu præventa.

12. Verumtamen hæc responsio et doctrina tot includit falsa et inintelligibilia, ut ad confirmandam doctrinam nostram sufficiat. Nam imprimis manifestam involvit repugnantiam, quod aliquid intelligatur prius assumptum, quam productum, vel creatum; quamvis enim defendi possit, aliquid non prius produci quam uniri, tamen, quod uniatur priusquam producat, aperta est repugnantia, cum esse unitum essentialiter supponat vel includat esse, et consequenter unio in rerum natura existens supponat vel includat productionem vel existentiam unibilium cum proportione

debita, id est, si unio sit in fieri, supponat vel includat productionem in fieri; si vero in facto esse, similiter. Et declaratur in præsentibus, nam hæc unio vel supponit existentiam, et est ad subsistendum; et sic necessario supponit rem productam quoad existentiam, ut nos dicimus; vel est ad existendum simul et subsistendum, ut alii aiunt; et sic necesse est ut in quocumque signo intelligitur humanitas assumpta et unita in facto esse, intelligatur etiam existens, et consequenter producta; non ergo potest esse prius natura assumpta, quam producta in facto esse. Quod vero neque in præsentibus materia illa duo sint omnino simul, late probatum est, cit. dis. 8, sect. 1.

13. Deinde ex his, quæ in illa responsione conceduntur, demonstratur aperte; nam cum dicitur creatio in fieri esse prius natura quam assumptio, interrogo an in re ipsa talis creatio existat, ut est fieri passivum humanitatis, an non. Hoc posterius consequenter dici non potest, quia alioqui non intervenient ibi duæ mutationes, ut conceditur, si utraque in re ipsa non existit. Item, quomodo est prior creatio in fieri, si secundum illud fieri in rerum natura non est? Admittenda ergo est juxta illam responsionem vera et realis creatio in fieri in re ipsa existens. Hoc autem posito, impossibile est talem creationem seu quasi mutationem impediti, ne in re ipsa suum habeat terminum, quod in universum in omni mutatione vel actione, seu in omni fieri, verum est, quia actio seu fieri dicit essentialem habitudinem ad terminum, non aptitudinalem, ut sic dicam, sed actuaalem, ut est, quatenus actu fit; ergo implicat contradictionem, quod ipsum fieri in rerum natura ponatur, et quod impediatur terminus juxta gradum et latitudinem talis fieri; unde, si fieri est momentaneum et simul totum, necessario habet integrum terminum. Et declaratur in præsentibus, nam, si ordine naturæ antecessit creatio animæ in fieri, quidnam factum est, aut quidnam consecuta est illa anima per tale fieri? Respondent, nihil in re esse consecutam, nisi quod tendebat ad existendum, nisi impeditur. Sed quidnam, quæso, est tendere ad existendum? Aut quid esse potest talis tendentia, nisi ipsa existentia, prout in fieri? tendere enim ad calorem nihil aliud est quam habere calorem in fieri; et idem est in omnibus aliis tendentibus; sicut ergo impossibile est esse actuaalem calefactionem, seu tendentiam ad calorem,

quin resultet aliquis calor, ita impossibile est intelligere tendentiam ad existendum per veram creationem in fieri, quin per tale fieri aliqua existentia facta intelligatur; si ergo creatio in fieri ordine naturæ antecedit, et illa non potuit impedi per assumptionem a suo intrinseco termino, necesse est ut secundum eundem naturæ ordinem in facto esse antecesserit. Quod si quis tandem respondeat, verum esse creationem illam in fieri non impedi a suo intrinseco termino, hunc autem terminum non esse rem secundum esse existentis, sed secundum esse essentialis, hoc imprimis nihil confert ad prædictam responsionem defendendam; concedendum enim consequenter est, animam Christi non solum prius natura creari quam assumi, sed etiam prius natura esse creatam quam assumptam, quia illa creatio non fuit impedita quoad suum intrinsecum terminum; et quia anima secundum illud esse essentialis, quod dicitur habere per creationem, supponitur assumptioni. Deinde satis ostensum est in superioribus, illud esse, cum sit novum et temporale, necessario esse debere esse existentis.

14. Quinto, eadem numero entitas actualis humanitatis, quæ nunc est unita Verbo, posset in rerum natura conservari separata a Verbo; ergo in utroque statu constitueretur in esse actualis entis per eundem numero actum, atque adeo per eandem numero existentiam; sed separata constituitur in esse entis per existentiam creatam, ut per se notum est; ergo et unita. Antecedens evidens est, ex iis quæ supra diximus de hac unione, unde a nemine in dubium revocatur. Prima vero consequentia probatur, quia impossibile est effectum formalem, seu rem constitutam per aliquem intrinsecum actum seu formam, esse eandem numero, quin actus seu forma qua constituitur, eadem numero sit; ut in hoc eodem mysterio, separata humanitate, non maneret eadem numero persona, quia non constitueretur in esse personæ per eandem numero personalitatem increatam. Si ergo humanitas unita constitueretur in esse entis actualis per ipsam existentiam increatam, dissoluta unione non posset conservari eadem numero entitas actualis; unde etiam fit, dissoluta unione, humanitatem corrumpi, quia amitteret suum esse existentis, et hoc est corrumpi; et eadem ratione, si maneret sub alia existentia, produceretur de novo, quia acquireret novum esse existentis, quod est proprius terminus

productionis, ut ostensum est; esset ergo entitas numero distincta, vel maneret eadem numero entitas in eodem instanti producta et corrupta, quod inintelligibile est.

15. Sexto, in Christo Domino sunt duæ naturæ habentes distinctas entitates actuales, creatam et increatam; ergo, constituuntur in suis entitatibus per existentias distinctas, creatam et increatam; patet consequentia, tum ex ratione facta, quod non possunt effectus, seu res constitutæ per aliquem actum, esse distinctæ, ut constituuntur per illum, et tamen actus, quo constituuntur, esse omnino iidem; tum etiam quia, si existentia est qua formaliter constituitur actualis entitas, intelligi non potest per existentiam increatam constitui entitatem aliquam in esse entitatis creatæ; sicut, quia personalitas est formale constitutum personæ, intelligi non potest per increatam personalitatem constitui personam creatam; formalis enim effectus, vel quasi effectus, debet esse proportionatus actui intrinseco, seu formæ per quam constituitur. Scio, multa ex his argumentis posse juxta contrariam sententiam nonnullis exemplis metaphysicis enervari, ut, verbi gratia, de materia, quæ juxta multorum opinionem nullam habet propriam existentiam, et sub diversis formis per diversas existentias eadem numero existit. Sed hæc et similia non solum non impediunt rationes factas, verum eisdem aut similibus convincuntur illa exempla esse falsa.

16. Ultimo tandem arguitur ex propriis principiis theologicis, quia, si humanitas Christi existit per increatam existentiam, sequitur unionem incarnationis factam esse in aliquo essentiali, quod est omnino falsum, ut supra, contra Durand., visum est ex sententia etiam D. Thomæ et totius scholæ ejus. Sequela patet, quia esse existentis in Deo est esse absolutum et essentialis, ut supra visum est, et hic ad 3 docet S. Thom. Ex quo ulterius sequitur, hanc unionem factam esse in natura, quia compositio in esse et essentialis est compositio unius naturæ existentis; vel certe sequitur hic esse duas uniones, saltem ratione distinctas, alteram essentialis humanitatis ad existentiam Dei, alteram humanitatis existentis ad suppositum, et illam terminari ad absolutum, hanc vero ad relativum, atque adeo illam per hanc determinari ad unam tantum personam, quæ tamen omnia seu similia graviter in Durando reprehenduntur. Ad hanc vero rationem responderi potest,